SACRA Cæsarea Ptás, Dnus noster clementissimus, benevolè intellexit ea, quæ, nomine Sanctissimi Dni Pontificis, Dnus Cardinalis commendatus, Ptti suæ de Fœdere, inter Sanctitatem eius, ac Serenissimum Hispaniarum Regem Catholicum, Illustrissimumq; Dominium Venetum, contra Turcas nuper inito, conclusq;, exposuit, ac pro rei magnitudine et prolixè et diserte admodum, in mentem uocauit: positis etiam Ptti suæ ob oculos ijs, tùm commodis, tùm incommodis atq; periculis, quæ in hocce negotio perpendenda se offerunt. Hæcq; omnia in eum finem, ut Cæsaream Ptem suam cohortaretur, atq; induceret, quo et ipsa fœdus hoc ineat, ac pnis Principibus et Reipub. se ea in parte coniungat.

Cæsarea uerò Ptás primo omnium non potest non maximo perè probare Stis suæ insignem, ac uerè pium paternumq; erga Rempublicam Christianam zelum, quem, uti aliàs semper, ita hoc loci maximè contestata est, ac et annuum uberius declarare satagit. Atq; pro hac quidem Stis suæ paterna cura et sollicitudine uniuersam Christianitatem Sanctitati suæ plurimum debere profitetur.

Quod uerò ad Cæsaream Ptem attinet, Ptás eius recenti tenet memoria, quid antehac, Fœderis istius Tractatu necdum conclusò, et per Sanctitatis suæ Nuntium, et Serm.i Hispaniarum Regis, præsertim uerò Illm.i Dominij Veneti Oratores, hac eadem de re cum Ptte sua actum sit. Nec dubitat, quin Sti eius, quid Ptás sua quoquo tempore responderit, probè constet.